

Joachim Stockmann

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Stockman, Med.  
D. & Profess. Ad iusta Exequialia Quae Iuveni ... Henrico Brockes/ Consulis  
Reipub. Lubecensis Magnifici Filio desideratissimo, Nomine ... Parentis, Vir ... Dn.  
Nicolaus Schütze/ I.U.D. ... Hodie hora prima in templo Jacobaeo parabit Omnes  
Universitatis Cives officiose ac peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747416370>

Druck    Freier  Zugang



**S**tockman, J.,

**in H. Brockes.**

**R. 1644.**

78







# PROGRAMMA,

8.

Quo  
RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOACHIMUS  
STOCKMAN,

Med. D. & Profess.

Ad justa Exequalia

Quæ

(ENI) LECTISSIMO, AC AMORE  
VIRTUTIS FLAGRANTISSIMO

HENRICO  
BXRQCRLES/

Consulis REIPUB. LUBECENSIS Magnifici

Filio desideratissimo,

Nomine mæstissimi Parentis, Vir Excellentissimus  
DN. NICOLAUS Schäze/ J. U. D. & Professor, Capituli Lu-  
becen. Syndicus prudentissimus, Collega noster honorandus, Adfinis  
& Hospes pie defuncti,

Hodie horâ primâ in templo Jacobæo parabit

Omnes Universitatis Cives officiosè ac per amanter invitati.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiae Typographi.

ANNO M. DC. XLIV.



Ovimus satis fallacem, iunctam,  
vanam & instabilem esse vitam no-  
stram mortalem, instar rapidissimi  
fluminis, instar amentati jaculi, in-  
star sagittae manu potentis, ad nior-  
tem decurrentem. Quod adeo verum experimur,  
ut pro Euripidis sententiâ, *nemo vivens de crastino*  
*sit securus.* Hoc est, quod vitam nostram So-  
phocles *simulacro, pulveri, Umbra* comparavit.  
Hoc est, quod Varro vir doctissimus eleganter (ut  
omnia) hominem *bullam* nominare consuevit.  
Sicut enim in aquis agitatis, bullæ & velut tuber-  
cula erumpunt, mox autem evanescunt: ita, quo  
momento miseri mortales nascimur, mortis ca-  
sibus sumus expositi, ut meritò Ecclesiæ Pater  
Augustinus in *ancipi* hæserit, hoc quod vivi-  
mus ævum, mortalemq; vitam, an vitalem mor-  
tem appellaret; & ille naturæ scriba Plinius, opti-  
mum esse dixerit, hominem aut non nasci, aut  
natum quam citissime aboleri. Adeo natura non  
tam parentem, quam severam novercam se no-  
bis exhibuit. Sed quid verbis prolixioribus opus  
est? Satis luculentum vitæ caducæ, humanæq;  
fragilitatis exemplum in se ipso nobis hodiernâ  
die, proh dolor! exhibit **L A U D A T I S S I M U S JU-**  
**VENIS,**

VENIS, ad gloriā ac decus nat⁹, Henricus Brockes/  
quem properantior vis & inclemētia Fati, ver-  
nantem flore jucundæ juventutis, non absque in-  
genti Academiæ mœrōe rapuit. Qui Anno 1624.  
die 27 Januarij post secundam horam matutinam  
quadrante elaps⁹, vitam hanc mortalem auspica-  
tus est, Parentibus ac majoribus clarissimis, Patre  
nimirum OTTONE Brockes Consule Urbis prima-  
riæ Imperialis Lubecæ Magnifico adhuc super-  
stite, quem supremus rerum Arbitr̄ diutissimè  
ac felicissime mortalium consortio convivere  
patiatur, animitus vovemus. Matre GERTRUDE  
zur Straten/ sexus fœminei decore eximio. Avo  
Paterno Dn. JOANNE Brockes/ tum temporis Lu-  
becensis Urbis Consule primario, contra Suecos  
Admirali strenuo; cuius filius alter, à quō p.m.  
juveni defuncto nomen sicut Dn. HEINRICUS  
Brockes itidem Consul prudentissimus celebrio-  
rem se ac majorem, ob Cedro digna facinora apud  
exteros quam domesticos reddidit. Aviā pater-  
nā CATHARINA Koenen / Matronā virtutum.  
splendore illustri. Avo maternō Dn. JOANNE  
zur Strassen/ primario & opulento Urbis Lube-  
cæ Cive, quem mors in flore ætatis è numero vi-  
ventium sustulit. Aviā materna MARGARETA  
Oldensegs. Priore Proavo paternæ lineæ Dn. JO-  
ANNE Brockes Consule Ploénensi meritissimo.

G 3

Secun-

Secundò Proavò paternæ lineæ Dn. CONRAD O  
Köene Cive Lubecensi: cuius Uxor nostriq; piè de-  
functi Proavia ELISABETHA, Dn. DIETERICI Hux-  
pen Consulis quondam Lubecensis erat filia, vir-  
tutum eximiarum matrona. Primò maternæ li-  
neæ proavò Dn. HEINRICO zur Strassen/  
principiè suo tempore Lubecensi Cive. Secundò  
ejusdem lineæ proavò Dn HERMANN Oden-  
sees primariæ olim prosapiæ in Urbe BREMEN-  
SI Viro, Cujus conjux nostri devote demortui  
proavia ELISABETHA Dn. BARTHOLOMÆI Ein-  
appel Consulis quondam Lubecensis & Admirali-  
lis, procellis maris (otristia fata) in navigatio-  
ne obruti, & in Bornholm sepulturæ mandati,  
erat filia, fœmina animi dotibus nunquam satis  
commendata. Non satis est, progenitores citasse,  
ad illustrandas nostri defuncti laudes, quorum fa-  
mam nunquam per malitiam aut inertiam deco-  
xisset, sed eam factis non acquiescens claritudini  
eorū auxisset. Proximū quoq; sanguinem Fratres  
videlicet honestâ recordatione prosequar, nem-  
pe JOANNEM jam Lubecæ, OTTONEM jam in Hispani-  
â, utrūq; superstite, ac spem Brockesianæ gene-  
rositatis sustinentem. Quorum coronam floridâ  
tanquā Rosæ fragrantes exornant quinq; sorores  
MARGARETA conjux CONRADI zur Hesten Civis  
Primarij. CATHARINA Conjunx Jürgen Bartels  
Civis

Civis etiam Lubecensis celebris. GERTRUDIS,  
Conjunx HIERONIMI von DORN/ Equitis, ANNA,  
Conjunx EBERHARDI WENDENFOPP/J.U. Doctoris  
& Practici in Ducatu Holstiae excellentissimi.  
MAGDALENA, Conjunx HEMMING PAUERSE/patricij  
Lub.; quibus, omnibus Outinam, fortunarū hu-  
manarum dispensator largiatur tantum, quan-  
tum animo cogitant, & votis exoptant. Potuit  
quidem piè defunctus de tantis majoribus, Fra-  
tribus, sororibus, Affinibus, Amicis, gloriari, & se-  
se magnificè efferre. Sed maluit splendorem ge-  
neris propriis virtutibus illustriorem reddere.  
Quamobrem ab ipsâ juventute totum se pietati;  
Numinis divini assiduo cultui, erga parentes re-  
verentiæ, devovit, Lubecæ studiis diligenter  
incubuit; & inter suos coætaneos, tum ingenij  
acumine, tum aliis præstantibus animi doribus  
adeò effulsit, ut eum amantissimus & nunc do-  
lentissimus parens, velut charissimum pignus, ad  
omne decus principale, ad virtutes regias sedu-  
lò institui curaret, eumq; ad hanc nostram Acad.  
Rostochiensem; velut ad eruditionis sacrarium,  
omniumq; disciplinarum emporium, summâ  
animi voluptate amandaret, ut strenuè Jurispru-  
dentiæ operam navans, publicis postmodum  
privatisq; muneribus obeundis Rempublicam  
ornare possit, vestigiisq; Laudatissimi DN. HEIN-

RICII BROCKES insisteris, regendo populo, urbiq; ad-  
ministrandæ præesse mereatur. Sed pestilens Par-  
ca invidit Parentis nunc mœstissimi sublimi spei,  
Invidit Fratrum, sororum, affinium, amicorum  
summæ expectationi, eumq; ex albo mortalium,  
præter spem & expectationem omnium, erasit.  
Ad subdoli enim hostis, quem in sinu aliquandiu  
gestaverat, continuæ scilicet febris inopinatum  
impetum primum sensu, eoq; ipso viribus statim  
collapsis, primò Februarij ita prostratus est, ut  
septimo ejusdem Februarij horâ mediâ octavâ  
matutinâ, morbi violentiâ superatus, mortali-  
tatem deponeret, ac spe æviternæ gloriæ tanquā  
loricâ indutus, inter preces & lacrymas astan-  
tis, Reverendi Clarissimiq; Viri DN. M. JOA-  
CHIMI LUTTKEMANNI, Collegæ nostri ho-  
norandi, quem pridie etiam præsentem de exhiben-  
tendâ sacrâ Cœnâ compellaverat, inter gemitus  
Medicorum & amicorum, postquam hic viven-  
do ætatem explevisset annorum XX. & dierum  
fermè undecim, animam placide exspiraret, per  
totum corpus apparentibus quidem, sed ad ple-  
nam expulsionem exhibita medicamenta con-  
temnentibus Variolis, lue illâ teterimâ, & non  
ulli morborum monstro secundâ. Cujus tam  
celeri ex hoc mundo abscessu, velut gravissimo  
vulnere affictus quidem es Parens magne, cum  
super-

superstite prole, cum defuncti affinibus & amicis, & non tantum ignosco tristitia & ægritudini, sed officij & pietatis gloriam tribuo. Verumtamen mentem suam ita colligere & componere te Vir prudentissime cum omnibus tuis decet, ut cogites, Divini Numinis voluntate, quidquid factum, evenisse. DEUS est, qui vitam mortesq; omnium dispensat pro arbitrio. Ei consilij sui rationes probè constant; quas quia mutare aut corrigere est nefas, feras oportet animo placido & non reluctant. Enavigavit suavissimus tuus filius HEINRICUS Brockes è terrarum syrtibus, & vitæ hujus periculosos scopulos prætervectus nunc optatissimâ statione perficitur. Quoties ergo recursabit cura,

*Quæ nunc te coquit, Et versat sub pectore fixa*  
Unicum afflictæ mentis perfugium CHRISTUM  
JESUM accede, & ad minuendam jure meritò  
animi ægritudinem, cogita, non quid amiseris,  
sed qualibus bonis fruatur optimus filiorum,  
quem amissum luges; nec minus illius commodo,  
quam jacturæ tuæ sensu commovearis.

Hujus lectissimi Juvenis corpus, diversorum  
insignis animæ, quandoquidem hodiernæ diei  
horâ primâ pomeridianâ, tumulo in templo Ja-  
cobæo parato, componi debet; Ubi resurrecção-  
nem præstolabitur, in quâ jura fatorum vivis &  
mortuis

mortuis præbebit Judex æquissimus. Omnes jurisdictionem Academicam agnoscentes, Dn. Professores, Doctores, Verbi divini præcones, Magistros, & nobilissimam Studiosorum cohortem amanter rogo & sedulò hortor, ut illud ad prædictæ S. Ædis sepulchrum frequentes deferatis, & Juveni præstantissimo Splendidissimâ solemnitate exequias eatis. Justissimum enim est, iusta persolvere laudatissimo Juveni, æquissimum est immortali recordationi membra Acad. dicare honorificū hoc ac supremū observantiæ monumentū, eoq; ipso Parentē mæstissimū, fratres, sorores, Affines, amicos afflictissimos præclarè de Repub. Lubecensi, de Literatorum Ordine promeritos solari, quorum ægritudinem absq; dubio non mediocriter leniet nuncius funeris, Beati HEINRICI Brockes pompâ honorificâ in Urbe Rostochiensi à Civibus Academiæ elati, tantiq; honoris à selectissimo Civium Acad: cætu illi exhibiti, cuius dulcissimâ præsentia ac societate, prolixius frui, aspera fata non permiserunt.

P. P. Rostochij sub sigillo Universitat.

16. Februarij. A. D. 1644

*Convenient Universitatis Cives hodie, horâ  
primâ, in templo Jacobæo.*

MS (O) 80









superstite prole, cum defuncti affici, & non tantum ignosco tristitidini, sed officij & pietatis gloriam rumtamen mentem suam ita collig ponere te Vir prudentissime cum decet, ut cogites, Divini Numinis quidquid factum, evenisse. DEUS e mortesq; omnium dispensat pro consilij sui rationes probè constan mutare aut corrigere est nefas, feras mo placido & non reluctant. Enav simus tuus filius HEINRICUS Brockes syrtibus, & vitæ hujus periculosos servectus nunc optatissimâ statione. Quoties ergo recursabit cura.

*Quæ nunc te coquit, & versat sub pede*  
Unicum afflictæ mentis perfugium  
JESUM accede, & ad minuendam  
animi ægritudinem, cogita, non q  
sed qualibus bonis fruatur optimu  
quem amissum luges; nec minus ill  
do, quam jacturæ tuæ sensu commo

Hujus lectissimi Juvenis corpus,  
insignis animæ, quandoquidem ho  
horâ primâ pomeridianâ, tumulo in  
cobæo parato, componi debet; Ubi  
nem præstolabitur, in quâ jura fati

